



VVolffgangus natus est Basileæ patre Iacobo Vuissenburgio, & matre Margaretha, anno 1496. Nomen illud idèò ei datum erat, quod parentes ad Thermas Badenas Marchionum (pro more) profecturi, ut masculam prolem sibi compararent, in itinere circa Argentinam in æde S. Vuolffgangi preces suas pro filio fudissent, atq; statim sequenti nocte mater sese filium cōcepisse, S. Vuolffgangi intercessione, somniasset. Is autem cum felici ingenio eslet præditus, à pueris operā literis dedit, atq; à pio quodā sacerdote monacho circa virginum monasterium, quod Ad lapides dictetur, in suburbio Basiliensi prima rudimenta percepit. Sub eo adeò profecit, ut anno ætatis 12 ad Academiæ lectiones admitteret. Ibi magna diligentia operam Philosophię dedit, atq; anno 1515 multorum gratulatio ne artium Magister creatus fuit. Mox etiam locus inter professores datus. Verum cum eodem tempore Glareanus Basileam uenisset, Vuolffgangus sese ei adiunxit, atq; Mathematicas disciplinas eo præceptore feliciter didicit, ita ut eas postea diu publicè docuerit. Cum hoc modo pergeret, atq; etiam sacrī literis incumberet, anno 1522 sacerdos inaugurañ, atq; parochia in xenodochio committitur. In eo loco magna diligentia Christum prædicauit, atq; cum Lutheri scripta legisset, sese mox Oecolampadio Basileæ coniunxit, & in Evangelica doctrina publicanda eum gnauiter adiūtuit, ac aduersarijs restituit. Itaq; factum cum anno 1529 Basileæ religionis fieret mutatio, ut is minoris urbis pastor cōstitueretur. Tum autem urbs in 4 parochias diuisa, & quatuor parochi ordinati, primus templi cathedralis, qui erat Ioannes Oecolampadius, secundus S. Petri, qui erat Constatinus Phrygio, tertius S. Leonhardi, qui erat Marcus Berschius, & quartus S. Theodori in minore urbe.